



**Theologiae Speculativæ Scholasticis Prælectionibus Et
Exercitiis Accommodatæ Libri IV**

Haunold, Christoph

Ingolstadii, 1678

Contr. II. An inter Decreta libera, defacto existentia, intercedat aliqua distinctio virtualis Intrinseca, vel sola distinctio rationis ratiocinatæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82733](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82733)

tia divina prout virtualiter distincta, præcedit ipsam terminationem, & exigit indeterminate identitatem sui cum alterutra terminatione, volitione vel nollitione, quæ exigentia est quasi acti-
va ex parte Divinitatis, ex parte verò terminationis est quasi passiva.

Et hæc sunt, quæ mihi pro hac & contra hanc sententiam occurrunt: in qua quidem sententia minus periculi mihi esse videtur errandi in re ipsa, plus verò periculi errandi in modo loquendi, quam sit in sententia Aureoli.

CONTROVERSIA II.

An inter decreta libera defacto existentia, intercedat aliqua distinctio virtualis intrinseca, vel sola distinctio rationis ratiocinata.

PRIMA, & antehac communis sententia, ponit distinctionem virtuales intrinsecam inter decretum indifferens concurrendi ad actus oppositos, & inter decretum decernens determinatè & prædefinitivè seu prædestinativè gloriam: item inter hoc ipsum decretum prædefiniens, & inter decretum executionis, quo dicunt DEVM decernere Gloriam ut præmium meritum ex prævisis meritis, ut absolute existuris, quod proinde decretum sit quasi effectus meritum ut futurorum, cum e contra decretum prædefiniens sit causa eorundem meritum; sicque putant de his decretis verificari contradictoria.

Hæc sententia seminarium fuit infinitorum & inextricabilium argumentorum, quæ causa fuit, ut in expeditiore via investiganda recentiorum industria defudaret, felici, ut mihi persuasissimum est, eventu. Vnde

366. Secunda sententia est, nullam dari distinctionem virtuales intrinsecam inter decreta libera DEI. Primus hanc sententiam, quod sciam, tradidit P. Martinus Esparza de Incarn. q. 15. & 1. p. q. 27. citans pro eadem Capreolum, Okamum, Gabr. probant eam rationibus à priori, quæ ingeniosæ sunt, sed ab adversariis, meo quidem iudicio eludi diversimodè possent: neque plus evincunt, quam quòd DEVS decreto prædefinitivo omnia attingat, quod ex adversariis aliqui non negarent: sed non evincunt, quòd non possit subsequi decretum executionis, prout Card. de Lugo & alij affirmant. Ego itaque in probanda hac sententia utar argumentis particularibus, pro quorum faciliore intelligentia,

367. Recolendum est. 1. Ex dictis (frustra contranite P. Aldrete) distinctionem virtuales intrinsecam non posse intercedere nisi inter attributa quæ aliquo modo distinguuntur realiter in tertio, ut superius declaratum est.

368. Observandum est. 2. Impossibile esse, ut duo decreta, ex suo modo tendendi prout

sus ab invicem inseparabilia, sint realiter distincta in vno tertio. Demonstratur. Nam illa duo decreta debent cum omnibus identificari quæ sunt in DEO, sunt enim omnia decreta omnibus personis communia, & in DEO non datur quaternitas: ergo cum quocunque est identificabile vnum, est etiam identificabile alterum, propter inseparabilitatem ab invicem; & à quacunque distinguitur realiter vnum, distinguitur & alterum: ergo neque in aliquo tertio intra DEVM, neque in aliquo tertio extra DEVM possunt realiter distinguì. Fundamentaliter ergo probatio Conclusionis in eo consistit, quòd nullum liberum decretum defacto existens, sit vel fuerit separabile ab altero.

369. Observandum. 3. Ad omne decretum DEI liberum præcedere non solum scientiam simplicis intelligentiæ, sed etiam Scientiam Mediam, tanquam directivam & consultativam. Ratio est: quia manifesta est imperfectio & inconsiderantia, decernere aliquid, & non adhibere in consultationem omnem illam scientiam, quæ habetur penitus independentè à decreto secuturo, adeoque adhiberi vtiliter potest: hoc enim esset se exponere periculo alicujus eventus secuturi præter expectationem: atqui Scientia Media est independentens à decreto secuturo, ut apud omnes in confesso est; ergo debet adhiberi à DEO tanquam directiva decreti subsecuturi.

370. Observandum. 4. In DEO non distinguì virtualiter illos actus, quorum objecta ita se habent ad invicem, ut per similem modum volendi homo vel Angelus illa objecta posset vno indivisibili actu velle, v. g. finem & medium determinarum. Hinc in materia de Prædestinatione jam pluribus ab hinc annis docui, contra Suarez & sequaces, decretum Intentionis, quo DEVS intendit aliquem finem, obtinendum per plura media subordinata sibi quæ succedentia, non distinguì virtualiter intrinsecè à decreto executionis, saltem respectu primi medij, hoc est remotissimi à fine. Ratio est, quia in DEO non debet admitti distinctio virtualis, nisi verificentur propositiones, quæ in rebus creatis supponunt distinctionem realem subiectorum: ergo si potest volitio creata eadem & indivisibilis tendere simul in finem & medium determinatum, utique in DEO non debent poni tendentiæ virtualiter distinctæ.

371. Observandum. 5. Omnipotentiam DEI non exire in actum, nisi applicetur per decretum DEI, posito tamen decreto jam esse sufficientissimè expeditam ad producendum effectum.

372. Observandum. 6. Non omnia illa prædicata distinguì virtualiter in DEO, quæ in rebus creatis semper & necessariò distinguuntur realiter, cuius contrarium non rectè supponit P. Aldrete: hinc etsi in rebus creatis fortasse ex speciali ratione semper realiter distinguantur cognitio & volitio, in DEO tamen cognitio & volitio essentialis

tialis ne quidem virtualiter distinguuntur. Pari modo Scientia Visionis & decretum prædefiniens ne quidem virtualiter distinguuntur; quia fundamentum ex quo distinctio virtualis colligi debet, non procedit in istis. Hoc ipsum videtur dicere voluisse S. Augustinus duplici in loco. imprimis libro 1. de Prædestinat. Sanctorum cap. 10. *Prædestinatione, inquit, DEVS ea præcivit, quæ fuerat ipse factururus.* deinceps libro. 2. qui est de bono perseverantiae c. 18. ubi docet, quod Apostolus ad Ephesios. 1. per *Præscientiam* intellexerit Prædestinationem seu Electionem gratiae. *Præcivit enim, inquit, reliquias, quas secundum electionem gratiae erat ipse factururus, hoc est ergo; Prædestinavit; sine dubio enim præcivit, si prædestinavit; sed prædestinasse est hoc præcivisse, quod erat ipse factururus.*

373. Observandum. 7. Non posse in Deo dari Actum Imperantem & Imperatum virtualiter distinctos. Ratio est, quia essent ab invicem omnimodè inseparabiles; & ideo non possent distinguì in Tertio: & quidem quod actus imperans esset inseparabilis ab actu imperato, est evidens, alioquin posset frustrari, & esset inefficax. E contra etiam actus imperatus esset inseparabilis ab actu imperante. procederet enim essentialiter ab illa visione, quæ est virtualiter indistincta ab actu imperante: atqui non potest separari volitio ab illa cognitione, à qua procedit. Ergo &c.

374. Observandum. 8. Ad divinam Providentiam, utpote infinitè perfectam, spectare, ut vno indivisibili & virtualiter indistincto actu, attingat & ordinet omnia, quæ per totam æternitatem fuerunt & futura sunt: & huiusmodi decretum Intentionis nemo prudens negare potest: fatenturque adversarij libenter, decreto Prædefinitionis directè intendi aliquem finem ultimum, & totam seriem omnium mediorum ad illum finem conducturorum; quamvis existiment, postmodum in ordine executionis intervenire debere decreta quædam particularia rerum particularium, & quæ possent existere, etiamsi non præcessisset tale decretum Intentionis.

375. De huiusmodi decreto Intentionis loquitur sacer textus Ecclesiæ c. 21. *Omnia in mensura, & numero, & pondere disposuisti.* Inde enim fit, inquit P. Esparza, Deum nihil constituisse, nullaquæ de re quidquam determinasse nisi mensurando, numerando, & ponderando omnia. Qui autem numerat aliquam collectionem, tum demum totam exhaurit, quando omnia & singula ejus individua vnicò & indivisibili actu attingit: quod idem procedit cum proportionem de pondere & mensura. Idem asseritur Sap. 8. *attingit à fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter.* Id ipsum conceptissimis verbis tradit S. Dionysius c. 7. de Cælesti Hierarchia prope finem. *Omnium, inquit, est artifex, & semper omnia componit, estque causa indissolubilis coherentiæ & ordinis omnium,*

finesque priorum cum sequentium principijs semper connectit, & vnam universi conspirationem concentumque pulcherrimè efficit. & c. 9. *Apertè, inquit, planeque docemus, vnam esse ad omnia pertinentem Providentiam.*

376. Ratione demum probatur. Voluntas debet tendere in objectum, eo modo, quo illi ab intellectu pro priori signo proponitur ut volubile; atqui tota connexio rerum omnium proponitur ab intellectu divino pro signo priore tum per Scientiam simplicis intelligentiæ, tum per Scientiam Mediam ut eligibilis, vel respuibilis: ergo &c. His observatis nunc ordine examinabimus varia genera Decretorum, in quibus est specialis difficultas.

§. I.

An possit in Deo admitti Decretum Finis, indeterminatum respectu Mediorum.

377. Suarez docuit, Deum decrevisse Decretum intentionis Gloriam Beatis, non solum antecedenter ad omne meritum visum ut absolute existurum, sed etiam cum præcisione, seu præcindendo, an velit dare gloriam propter merita, an sine meritis, an propter hæc vel illa merita, cum his vel illis auxiliis obtinenda; & deinde Deum in posteriore signo decernere seu prædefinire hæc determinata merita, per hæc determinatè auxilia, quæ per Scientiam Mediam videri futura congrua. Quæ duo decreta si darentur, essent virtualiter intrinsecè distincta: nam primum esset separabile à secundo, & conjungibile cum alio Decreto, decernente gloriam sine meritis, vel per alia merita & auxilia.

378. DICO 1. Implicat huiusmodi Decretum indeterminatum in Deo. Probatur. Tunc solum potest quis prudenter elicere intentionem efficacem finis, præcindendo adhuc à mediis determinatis, quando necdum habet præsentem omnem scientiam requisitam aut idoneam ad eligendum hoc medium præ illo: atqui Deus habet antecedenter ad omne Decretum præsentem omnem Scientiam idoneè directivam ad eligenda determinatè media: Ergo: &c. Minor patet. Major probatur. Qui enim adhuc suspendit determinationem mediorum, ideo suspendit, quia vult adhuc melius considerare diversitatem mediorum, & quænam præ alijs expediant: ergo ideo in intentione finis præcindit à medijs, quia necdum adhibuit omnem considerationem & Scientiam, ad eligendum hoc medium præ alio idoneam.

Ad argumentum quo solet huiusmodi decretum probari, respondebimus in Tractatu de Prædestinatione, Cap. 5. Contr. 2. §. 6.

§. 2. An

§. II.

An decretum concurrenti cum causa secunda necessaria ad effectum, virtualiter intrinsece distinguatur à decreto, quo ipsa causa est producta.

379. Affirmativa est communis persuasio: nihil enim in scholis receptius, quam quòd Deus visà causa moveatur ab ipsius exigentia ad concurrentem cum causa ad effectum, & quidem decreto libero, ita vt non obstante priore decreto, quo Deus decrevit producere causam, posset Deus in posteriori signo nolle concurrere cum causa, nec ejus exigentiam attendere.

380. Hæc sententia multiplicat decretorum virtutem distinctionem in infinitum. Tor enim debent actu esse decreta virtualiter ab invicem distincta, quor sunt successivè futuri effectus per totam æternitatem: sed sunt futuri finiti in infinitum: ergo jam ab æterno darentur infinita decreta virtualiter ab invicem distincta; quod quidem ego non minùs reputo impossibile, quam infinitum categorematicum, constans numero reali. Sed hoc dissimulato,

381. DICO. 2. Implicat hujusmodi decretorum virtualis distinctio. Probatur. Decreta, quæ non sunt ab invicem separabilia, non possunt ab invicem virtualiter distinguì: sed decretum producendi causam physicam necessariam quod defacto datur, est inseparabile à decreto concurrenti cum eadem ad effectum (si ponamus Deum defacto concurrere) Ergo. Major est jam probata superius, observatione, 2. vbi ostendimus, non posse realiter distinguì in tertio, quæ nullo modo sunt separabilia, quæ tamen distinctio in tertio ad virtutem distinctionem requiritur eo modo, quo suprà declaratum est.

Minor verò probatur ex dictis. In signo priore, priusquam Deus decernat producere causam, v. g. ignem A. habet jam omnem scientiam requisitam & idoneam ad consultandum de producendo vel non producendo effectum: ergo non potest decernere productionem causæ, suspendendo adhuc arbitrium, & præscindendo, an velit concurrere ad effectum: ergo jam per ipsum decretum causæ ad minimum intendit effectum: ergo decretum producendi causam, est essentialiter connexum cum decreto producendi effectum; & sic constat minor quoad primum membrum, &

382. Confirmatur ad hominem. Nam si decretum concurrenti ad effectum, est decretum à priori distinctum, & formaliter liberum, tunc in sententia adversariorum debuit hoc decretum per scientiam mediam prævideri futurum sub conditione: si causa decernatur: ergo scientia media de hoc conditionatè futuro decreto dirigit decretum producendi causam: ergo decretum producendi causam habet essentialem connexionem cum scientia media de secuturo effectum: ergo etiam cum consecutione effectus.

383. Jam verò alterum membrum probatur, nempe decretum concurrenti cum causa, esse connexum cum decreto producendi causam. Decretum concurrenti cum causa procederet (vt putant adversarij) ex cognitione causæ existentis: sed hæc cognitio causæ existentis est virtualiter intrinsece indistincta ab ipso decreto producendi causam, vt supradictum est: ergo decretum concurrenti cum causa, est essentialiter connexum cum decreto producendi causam.

384. Hinc ulterius infertur, hoc secundum decretum, si daretur eo modo quo volunt adversarij, non fore formaliter liberum. Si enim esset formaliter liberum, posset Deus, nolendo concurrere cum causa, impedire decretum prædefinitivum seu intentivum effectus, vt fatentur adversarij: sed hoc est impossibile, quia decretum concurrenti cum causa pendet immediatè ab illo ipso decreto prædefinitivo, vt pote virtualiter indistincto à visione causæ vt existentis & exigentis concursus: impossibile autem est, per exercitium liberum impediri cognitionem à qua dirigitur, & essentialiter pendet, vt per se notum est.

385. Declaratur magis. Cognitio directiva actus liberi, debet esse conjungibilis cum actibus oppositis, hoc est, cum volitione & nolitione: sed in nostro casu cognitio directiva decreti concurrenti cum causa, non esset conjungibilis cum nolitione concurrenti: ergo. Major est certa. Minor probatur. Cognitio illa esset virtualiter indistincta à decreto intendente ipsum effectum: sed hoc decretum est inconjungibile cum nolitione concurrenti, alioquin posset frustrari: ergo nec cognitio immediatè directiva decreti concurrenti cum causa, esset conjungibilis cum nolitione concurrenti: Ergo dicendum, hæc duo decreta, ob mutuam inseparabilitatem, esse virtualiter indistincta ab invicem, quod erat probandum.

386. Probatur Conclusio, 2. Suprà, cum ageremus de Scientia Media, §. ultimo, probavimus, non dari in Deo Scientiam Mediam suorum decretorum vt sub conditione futurorum, eò quòd esset, & non esset impedibilis, esset, & non esset directiva &c. atqui si decretum concurrenti cum causa esset virtualiter distinctum à decreto producendi causam, & simul esset formaliter liberum, necessarium esset, vt per Scientiam Mediam prævideretur, quia ejus prævisio esset requisita ad dirigendum decretum producendi causam, ne alioquin Deo accideret aliqua non prævisà conjunctio. Ergo &c.

387. Constat ergo, Omnipotentiam Dei, quæ est virtualiter indistincta à voluntate Dei, applicari sufficientissimè per vnum indivisibile decretum ad producendam causam & effectum cum sua physica dependentia à causa.

388. Cæterum, quia noster operandi modus aliter se habet, propter realem distinctionem cognitionis à volitione, & propter vtriusque variationem,

riationem, alijs & alijs objectis intercurrentibus, & propter nostrarum potentiarum limitationem, hinc fit, quod aliter etiam concipiamus & ordinemus operationes divinas, quam revera se habeant; & huic etiam modo concipiendi accommodamus modum loquendi, prout etiam ipsa S. Scriptura facit, dum DEVM introducit loquentem, quasi aliquid de novo sciret: *Nunc scio, quod timeas DEVM: Videbo an verus sit clamor, &c.* sed de hoc infra.

389. Itaque Ordo ille decretorum non est intrinsecus DEO, sed merè extrinsecus. Nec tamen contemnendus est loquendi modus accommodatus huic ordini, quia servit ad expeditorem apprehensionem divinorum decretorum, sicut serviunt picturæ rerum spiritualium, licet aliter, ac res se habent, representent. sufficit enim quod se ita habeant modo eminentiore, ut etiam notavit P. Esparza.

§. III.

An concursus DEI indifferens in actu primo, determinandus à causa libera, virtualiter intrinsecè distinguatur à decreto ponendi ipsam causam in actu primo proximo expeditam, & an illud decretum sit liberum.

390. DICO. 3. Concursus DEI indifferens in actu primo (quid ille sit videbimus) determinandus à causa secunda libera, debet virtualiter intrinsecè distinguari à decreto, quo decernitur liberè ipsa existentia causæ liberæ. Probatur ex dictis. Decretum decernens existentiam causæ creatæ liberæ, non est indifferens, sed determinatè connexum cum tali determinata operatione causæ liberæ, v. g. cum consensu: quia decretum hoc est ipsissimum decretum prædefinientis consensus, & procedit ex Scientia Media de consensu, decreti directiva: Econtra concursus indifferens & determinabilis à causa creatæ, non est cum consensu determinatè connexus, sed coniungibilis cum dissensu: ergo concursus indifferens est separabilis à decreto prædefiniente consensus, & coniungibilis cum decreto permissivo dissensus: ergo distinguuntur virtualiter intrinsecè. Magna difficultas est, quam ab alijs non invenio satis animadvertam, an iste concursus in actu primo indifferens, seu indifferenter oblati, sit aliquod decretum liberum, & in quo signo collocandus.

391. Communissima hætenus persuasio fuit, esse decretum formaliter liberum, & ponendum esse in signo posteriore, post visam existentiam causæ liberæ, proximè expeditam ad operandum.

392. DICO tamen. 4. Repugnat huiusmodi decretum liberum in tali signo ponendum. Probatur. Si daretur huiusmodi decretum, procederet, & dirigeretur à cognitione divina causæ creatæ ut existentis, & exigentis concursum indif-

ferentem. atqui hac ratione jam non esset decretum indifferens, sed determinatè connexum cum illo ipso actu, cum quo esset connexum ipsum decretum prædefinientis actum, & decernens existentiam causæ: ergo repugnat; quia esset & non esset indifferens. Majorem admittunt adversarij. Minor probatur ex dictis. Visio causæ creatæ ut existentis, est virtualiter ipsum decretum ponendi causam, essentialiter procedens ex Scientia Media de actu hominis futuro, & prædefinientis eundem actum, ut jam sæpius dictum est: atqui omne decretum habet essentialiter connexionem cum cognitione sui directiva: ergo decretum offerens concursum in posteriore signo, esset determinatè connexum cum decreto prædefiniente: ergo etiam cum actu prædefinito: ergo non esset indifferens & coniungibile cum actu opposito.

393. Hinc ulterius deducitur. 1. quod huiusmodi decretum esset & non esset separabile à decreto prædefiniente actum. 2. esset, & non esset liberum. Esset quidem liberum ex suppositione: non esset autem liberum, quia procederet ex cognitione essentialiter connexa cum determinato actu ut futuro: ergo est necessitas antecedens ut ponatur hoc decretum, sine quo actus non potest esse futurus. Probo consequentiam. Si enim stante illà cognitione, posset non poni hoc decretum, posset frustrari decretum prædefinientis, quod est impossibile.

394. DICES. Ponatur ergo hoc decretum in anteriore signo, ante decretum prædefinientis, seu ante decretum existentie causæ; non quidem absolutum (repugnat enim, velle concurrere absolutè cum causa, & tamen adhuc esse liberum pro signo posteriore, ad decernendam vel non decernendam existentiam causæ) sed conditionatum, quasi dicat: *Volo concurrere indifferenter, si decrevero existentiam causæ.* Respondet, hoc etiam repugnare. quia huiusmodi decretum liberum deberet dirigi à Scientia Media de consensu futuro sub conditione, si existat causa: ergo imprimis sequitur adhuc, quod non esset indifferens ut coniungatur cum dissensu: deinde esset insuper nugatorium: diceret enim: quia video quod si existet causa, existet etiam consensus, decerno concurrere indifferenter, etiam ad dissensum, si existet causa.

395. Ex his apparet, non posse poni decretum indifferens in signo posteriore, post Scientiam Mediam. Vtrum autem defendi possit, & ex quo fundamento, huiusmodi decretum disjunctivum & conditionatum ante Scientiam Mediam, paulò post aperiā considerationem meam, quam quidem sine Authore concepi, vidi tamen postmodum alijs placuisse. Nunc

396. DICO 5. Supposito quod Scientiam Mediam nullum decretum disjunctivum & conditionatum præcedat, concursus indifferens probabiliter aliud non est, quam ipsa Omnipotentia Dei, seu voluntas Dei necessaria, præcedens virtualiter

virtualiter omne Decretum liberum, & omnem Scientiam Mediam; estque voluntas æquivalenter conditionata & necessaria, vt, si existat causa creata libera, instructa cognitione indifferente ad operandum & non operandum, sequatur necessarium alteruter actus ex oppositis. Conclusio deducitur ex præcedentibus, & declarabitur in objectionum solutione. Dixi: *Probabiliter*. Nam infra numero 406. & seq. ostendam, quã ratione possit explicari oblatio concursus indifferents per ipsum decretum Prædefiniens.

397. Obijcies ergo 1. Non repugnat Deum suspendere omnem concursum, etiam positã causã liberã cum cognitione indifferente: ergo concursus indifferens est liber. 2. Negando antecedens. Repugnantia autem ostensa est hoc ipso quod probatum est, concursum indifferenter non posse esse decretum liberum subsequens Scientiam Mediam.

398. Obijcies 2. & difficilius. Etiam si positã cognitione indifferente, non possit non sequi aliquis actus liber, adhuc tamen causã secunda est determinanda à Deo ad individuum actus Amoris vel Odij, vt habet communior hodie philosophia: atqui hæc determinatio fit per Decretum liberum Dei: ergo contra hoc decretum militabunt omnia argumenta à nobis allata: ergo erunt nobis quoque solvenda.

399. Ad hanc objectionem, quã me diu suspensum habuit, dupliciter responderi potest. Primo, potest negari suppositum, scilicet, dari aliquam liberam determinationem & electionem vnius actus liberi creati præ alio illi simillimo, pro eodem instanti: ac proinde dici potest, quod natura cuiusvis agentis liberi, sit ex se determinata ad certum actum individuum ex duobus oppositis, & pro hoc instanti, quo habet cognitionem indifferenter circa objectum A, non sit possibilis nisi vel volitio A. vel Nolitio A.

400. Responderi potest 2. Admittendo possibilia plura individua amoris simillima, & pro eodem instanti ponibilia. Hoc inquam admisso, admittendum pariter est Decretum Liberum, offerens indifferenter concursum ad amorem A, vel Odium A. præ amore B. vel odio B. quod erit Decretum disjunctivum.

401. Quia verò à nobis ostensum est, huiusmodi decretum non posse esse in posteriore signo post Scientiam Mediam, ideo dicendum est, hoc Decretum esse disjunctivum conditionatum, præcedens ipsam Scientiam Mediam, & conjungibile tam cum Scientia Media de consensu, quàm cum Scientia Media de dissensu. Hoc autem est vltimè declarandum.

402. DICO itaque 6. Potest in Deo admitti Decretum disjunctivum conditionatum, quo Deus antecederet ad omnem Scientiam Mediam liberè dicat: Si Petro decrevero talem actum primum proximum amandi vel odio habendi, tunc concurrat tantum vel ad actum amoris A. vel ad actum odij A. Hoc decretum est con-

ditionatum, nihil absolute decernens, & conjungibile tam cum decreto producendi aliquid, quàm cum decreto nihil producendi. Præterea hoc decretum determinat quidem Petrum ad individuum A. præ individuo B. sed non determinat ad amorem A. præ odio A. hanc enim determinationem relinquit libertati Petri.

403. Quod autem hoc Decretum sine vlllo inconvenienti dicatur præcedere omnem Scientiam Mediam, sic declaratur.

404. Illud Decretum debet præcedere Scientiam Mediam, quod est Fundamentum Scientiæ Mediæ; sed decretum determinans ad individuum actus, salvã libertate quoad speciem, est Fundamentum Scientiæ Mediæ: ergo debet præcedere Scientiam Mediam. Probatur minor. Illud decretum est Fundamentum Scientiæ Mediæ, quo non præcedente non potest Scientia Media affirmare suum objectum. sed illo decreto non præcedente non potest Scientia Media affirmare suum objectum: ergo &c. Major est clara. Minor probatur. Quamdiu non intelligitur facta determinatio ad individuum actus, tam diu Scientia Media non potest affirmare suum objectum; sed non posito decreto determinante ad individuum actus, non est facta determinatio ad individuum actus: Ergo &c. Major probatur. Nondum factã determinatione ad individuum, non potest Scientia Media videre causã secundam sub conditione operantem, & se ad speciem determinantem: hæc enim operatio debet esse non solum quoad speciem, sed etiam quoad individuum determinata: atqui Scientia Media videt causã secundam se quoad speciem determinantem, & in aliquo determinato individuo operantem: ergo non posito illo Decreto, non potest in Deo dari Scientia Media: ergo à primo ad vltimum, illud decretum est fundamentum Scientiæ Mediæ, debetque illam præcedere.

405. Denique Decretum hoc habet aliquid de libero, & aliquid de necessario. Liberum est, quia Deus liberè eligit individuum A. vtriusque speciei oppositæ, præ individuo quocunque ex infinitis possibilibus: Necessarium est hoc decretum, quia Deus est ex sua natura necessitatus, ad fundandam Scientiam Mediam, sine quã non posset exercere suam providentiam in producendis vel non producendis creaturis; adeoque est necessitatus ad offerendum concursum indifferenter, cum determinatione ad individuum. Sicut in productione mundi fuit quidem liber ad producendum in hoc vel illo spatio imaginario, necessitatus tamen ad producendum in aliquo spatio, supposito quod veller producere.

406. Postquam hæc in scholis tradideram, alius, & tertius modus occurrendi præsentis difficultati mihi incidit. Visum est inquam, absque decreto disjunctivo præcedente Scientiam Mediam, per solum Decretum prædefiniens posse explicari determinationem ad individuum, & oblationem concursus indifferents. Conatus sum

sum hoc declarare satisfaciendo utique duabus objectionibus, quæ obfistere videbantur: Prima erat, quia Decretum prædefinienti actum, v. g. consensum, non est indifferens ad dissensum: atqui determinatio ad individuum debet esse Decretum indifferens, & coniungibile etiam cum dissensu, alioquin non esset tantum determinatio ad individuum, sed etiam ad speciem. Secunda, quia non apparet, quomodo Scientia Media possit exire in actum, & videre consensum sub conditione futurum, nisi præsuppositâ determinatione ad individuum.

407. Ad utramque hanc objectionem videtur responderi posse, oblationem concursus indifferens, non debere esse formalem, sed sufficere radicalem seu virtualem, & hanc contineri in Decreto prædefiniente consensum. Ostendo. Scientia Media videt independentem ab omni deceto præcedente, quod si Petrus haberet actum primum proximum A. nullum poneret dissensum, adeoque neque dissensum A. si hic solus illi possibilis esset, nec B. si hic solus esset possibilis, & sic de cæteris. Et hoc videndo, videt Deus hoc ipso, quod Petrus poneret vel consensum A. si hic solus illi possibilis esset, vel consensum B. si hic solus possibilis esset, & sic de cæteris. Ratio est, quia est metaphysicè necessarium & evidens, quod si Petrus consentiret per consensum A. si hic solus possibilis esset, pariter consentiret per consensum B. si illi non A. sed B. possibilis esset, eò quod Petrus non eligat inter A. & B. hoc est inter duos consensum omnino simillimos: & hoc sensu sine ullo inconvenienti potest admitti, quod Deus videat consensum hominis sub prædicato specifico, seu disjunctivè, quin videat determinatè ponendum consensum A. præ consensu B. quia nondum facta est vlla determinatio ad A. potius quàm ad B. & tamen conditionata positio vnius, si ille solus possibilis esset, arguit conditionatam positionem alterius, si alius solus possibilis esset.

408. Hac ergo Scientiâ Mediâ positâ, potest Deus per Decretum prædefinienti consensum discernere actum primum proximum A. intendendo actum secundum seu consensum A. nolendo scilicet existere vllum alium actum præter A. in quo deceto continetur virtualiter sub conditione Decretum oppositum de non admitendo ullo dissensu, nisi dissensu B. si Deus per Scientiam Mediam prævidisset, quod Petrus habens actum primum proximum A. esset dissensus modo paulò antè explicato. Ratio est, quia in Decreto præsentè verificatur illa conditionalis determinatio, quæ à Deo poneretur ad dissensum B. si Petrus prævisus fuisset non positurus consensum. Cum ergo in hominis potestate sit, ut existat Scientia Media de dissensu, hoc ipso est in illius potestate, ut hic & nunc habeat concursum determinatum per decetum permissivum, seu negativè prædefinienti dissensum. Hanc considerationem alijs examinandam relinquo, quam a-

liqui moderni in suis prælectionibus jam amplexi sunt.

§. IV.

An Causa causalitas causa Moralis arguat Decretum virtualiter intrinsecè distinctum à Decreto causante ipsam causam Moralem.

409. Hoc est alterum fundamentum, quo plerique moventur, ad ponenda Decreta virtualiter distincta. Videtur enim penitus inexplicabilis causalitas meriti in præmium (eadem est ratio de precibus aliquid impetrantibus) nisi intercedat Decretum, quo decernatur præmium ob meritum, vel ob preces viles. & hoc decetum ponunt aliqui formaliter liberum, aliqui ponunt necessarium, & ajunt esse actum imperatum à Decreto prædefiniente ipsum meritum.

410. DICO 7. Implicat hujusmodi Decretum necessarium, quod habeat rationem actus imperati pro posteriore signo. Conclusio jam est superius probata Observatione. 7. Et nunc declaratur in exemplo. v. g. Deus decernit Petro Gloriam propter sua merita; in quo casu ponunt adversarij duo Decreta: Primum vocant *Decretum intentionis*, immediatè procedens ex Scientia Media, quâ Deus videt: si Petrus haberet illuminationem A. eliceret tale meritum: hac inquam Scientiâ Mediâ positâ, ajunt, Deum elicere hoc decetum: *Ad obtinendam Petro gloriam decerno ejus existentiam & illuminationem A. & quia sum visurus meritum, volo tunc eo viso decernere gloriam Decreto executionis.* Ita quidam, qui Decretum executionis defendunt tanquam actum necessarium & imperatum, qui nimirum non potest non sequi, alioquin frustraretur actus imperans.

411. Hac tamen doctrina non potest subsistere. Nam actus decernens immediatè gloriam, procederet ex visione meriti: sed visio meriti est virtualiter indistincta à deceto prædefiniente, seu ab actu imperante, ut supra probatum est: ergo procederet immediatè ex ipso actu imperante: ergo actus decernens gloriam esset essentialiter connexus cum actu imperante ipsum: atqui econtra actus imperans etiam esset essentialiter connexus cum illo deceto, tanquam actu imperato: ergo essent actus mutuo connexi & ab invicem inseparabiles: sed actus ita connexi non possunt virtualiter ab invicem distingui, quia non possunt distingui realiter in tertio: ergo decetum præmians non potest esse actus imperatus necessarius, ut ponebant adversarij.

412. Alij, ut dixi, ponunt Decretum gloriæ viso merito, esse formaliter liberum, quod sic concipiunt & ordinant. Deus, inquit, non solum videt per Scientiam Mediam, quod, si Petrus haberet auxilium A, esset positurus meritum, sed etiam videt per Scientiam Mediam: si Petrus poneret tale meritum, ego liberè decernerem illi gloriam viso illo merito. Hac duplici Scientia

Scientiâ Mediâ suppositâ, dicunt, Deum elicere decretum Prædestinationis quo dicat: *Ad obviandum Petro gloriam, decerno illi auxilium A.* Hoc decretum Prædestinationis erat impedibile non solum à Petro, sed etiam ab ipso Deo, si nempe etiam visio merito noluisse dare gloriam. Verum hæc omnia corrumpunt ex dictis.

413. DICO itaque 8. Repugnat hoc Decretum liberum prævisum per Scientiam Mediâ, & subsequens ad decretum prædefiniens præmiû, atque ad visionem meriti. Probatur 1. Nullum decretum Dei potest esse objectum Scientiæ Mediæ, ut supra probatum est ex eo, quod omne decretum posterius Scientiâ Mediâ, debeat dirigi à Scientiâ Mediâ præcedente, à qua etiam dirigeretur decretum oppositum: nullum autem decretum potest impedire illam Scientiam à qua dirigitur: decretum autem oppositum illi, quod esset objectum Scientiæ Mediæ, posset illam impedire; quæ omnia superius probata sunt: atqui decretum præmiij esset objectum Scientiæ Mediæ, ut isti Authores docent: ergo repugnat. Probatur 2. Hoc decretum procederet ex visione meriti, ut ponunt adversarij: sed visio meriti est virtualiter etiam ipsum decretum prædefiniens præmium: ergo Decretum executionis esset essentialiter connexum cum decreto prædefiniente præmium: atqui cognitio ex qua procedit decretum, est inimpedibilis per oppositum decretum, quia etiam decretum oppositum per eandem cognitionem dirigeretur: ergo decretum prædefiniens esset inimpedibile per decretum oppositum decreto executivo præmiij: cum tamen adversarij velint esse impedibile per decretum oppositum decreto executivo præmiij, quia, ut retulimus, supponunt, quod Deus etiam visio merito, posset negare præmium, quia liberè præmiat actum.

414. Probatur 3. Daretur inter decretum prædefiniens & decretum executivum mutua inseparabilitas & connexio: ergo non distinguuntur inter se virtualiter: ergo non potest vnum poni ante visum meritum, & alterum post visum meritum. Antecedens probatur. Nam decretum prædefiniens præmium esset connexum cum decreto executivo, non minus quam cum ipso consensu & merito Petri, utpote procedens ex Scientiâ Mediâ utriusque, & hoc concedunt adversarij. Rursus decretum executivum præmiij, esset etiam essentialiter connexum cum decreto prædefiniente, utpote procedens ex visione meriti, virtualiter indistinctâ à decreto prædefiniente: ergo &c.

415. Conclusiones hucusque positæ contra multiplicantes Decreta, & virtualiter distinguentes decretum intentionis à decreto executionis, sunt ad mentem S. Thomæ q. 19. a. 5. ubi disputat, an aliquid ut volitum possit Deo esse ratio volendi aliud, & in corpore sic concludit: *Sicut in Deo intelligere causam non est causa intelligendi effectus, sed ipse intelligit effectus in causa, ita velle finem non*

est ei causa volendi ea quæ sunt ad finem, sed tamen vult ea quæ sunt ad finem, ordinari ad finem. Vult ergo, NB. hoc esse propter hoc; sed non propter hoc vult hoc. Negat ergo S. D. subordinationem decretorum divinarum, & vnius ad alterum præsuppositionem, quæ tamen asseritur ab adversarijs.

§. V.

Solvuntur Objectiones.

416. Objicitur 1. Ex vltima conclusione sequitur, meritum & preces non esse causam moralem præmiij aut doni impetrati: quia non intercedit inter meritum & præmium vlla causalitas. Non quidem causalitas physica, tum quia sic esset causa physica; tum quia meritum sæpe tempore præcessit præmiij collationem: sed neque intercedit causalitas moralis. Nam causalitas moralis aliud non est, quam quod aliquid ut existens moveat causam physicam ad operandum, sicut mandatum Domini movet servum ad laborandum: atqui in nostra sententia meritum non movet ut visum, ut Deus conferat præmium: Vno verbo, non causat præmium mediante decreto divino, quo modo hætenus causalitas moralis semper explicata fuit, ergo meritum non est causa moralis præmiij; & sic denique nec Sacramenta erunt causa moralis gratiæ, nec merita Christi erunt causa nostræ Iustificacionis, quæ omnia sine errore dici non possunt: ergo fatendum est, quod decretum executionis procedat ex visione meriti: ergo est virtualiter distinctum ab intentione præmiij, nam hæc est causa prædefinitiva meriti: ergo est prior merito. Non potest autem non distingui virtualiter decretum quod est prius, à decreto quod est posterius merito.

417. Respondeo, negando, quod de ratione generica causæ moralis sit, causare effectum mediante cognitione & volitione causæ physica. Dicitur enim A. causare moraliter B. ideo, quia per ordinationem & intentionem causæ physicae connectitur A. taliter cum B. ut in æstimatione communi perinde sit, ac si illud physicè causaret, vel physicè moveret causam physicam ad producendum B. sive deinde illa connexio proveniat ex vna indivisibili intentione utriusque, sive ex volitione præsupponente cognitionem existentiae ipsius B.

418. Et licet in humanis plerumque contingat, ut causa moralis ut jam existens, moveat causam physicam ad operandum, posset tamen etiam aliter se res habere, salva denominatione causæ moralis. In exemplo. Si ego per divinam revelationem cognoscerem, quod si Petro darem gladium, esset crastino die pugnaturus & victurus hostem patriæ, possem hodie vno indivisibili actu sic statuere: *Do tibi gladium ut cras pugnes & vincas hostem; & propter dignitatem victoriæ, volo ut vesperi sis dominus mei fundi.* hoc casu etiam si nulla intercederet amplius cognitio aut

volitio, ad quam moverer à victoria viſa, vt vellem fundum eſſe Petri, adhuc Petrus fieret dominus fundi, & omnium iudicio rectè diceret, ſe fundum accepiſſe in præmium victoria.

419. Hoc modo Decretum divinum in ſe indiviſibile, ordinans tamen prædeſinitivè meritum ad præmium, propter intrinſecam ſuam proportionem & dignitatem, quam Deus cognoscit per Scientiam ſimplicis intelligentiæ, adjutus inſuper à Scientia Media de conſenſu ſub conditione futuro, atque ita volens complexum ex merito & præmio, vt ex ipſo volendi modo non eſſet voliturus præmium, niſi meritum eſſet ponendum, hoc inquam modo neſcit decretum divinum meritum cum præmio, preces cum dono, vt in æſtimatione morali perinde ſit, acſi præmium phyſicè cauſaretur à merito aut precibus, vel, acſi meritum vt exiſtens obiectivè moveret ad dandum præmium.

420. Obijciuntur 2. Varia Scripturæ Teſtimonia, quibus ſignificari videtur, quòd ex viſis meritis conferatur præmium. adducunt autem ex Matth. 25. verba illa: *Euge ſerve bone & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis &c.* & illa: *Venite benedicti Patris mei, poſſidete &c.* eſurivi enim & dediſti &c. & ex Jacobi 2. illa verba. *Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide, & heredes regni?*

421. R. In his textibus plus non contineri, quàm quòd merita ſint cauſa moralis præmij, ſed nullus dicit, quòd vt exiſtentia moveant Deum: Illud vtrò concedimus, hoc poſterius negamus. Deinde textus allati loquuntur de Chriſto homine, in quo facilè poſſunt illi actus, etiam realiter diſtincti, admitti. Denique priores duo textus probarent, quòd Deus primùm in tempore decerneret gloriam, ſi in omni rigore intelligendi eſſent: dicitur enim in parabola: *Poſt multum verò temporis venit dominus, & poſuit rationem cum eis.*

422. Apparentius afferri poſſent illi textus, quibus dicitur Deus exaudire noſtras preces, reſpiciete noſtra merita, audiviſſe clamorem &c. R. tamen, actus divines proponi nobis in S. Scriptura accomodatè ad modum quo ſolemus illos inſtar noſtrorum actuum concipere: & ideo etiam proponuntur, quaſi Deus primùm in tempore huiusmodi actus eliceret: *Nunc ſcio, quia times Deum. Deſcendam & videbo: exaudivi te etiam hac vice &c.* Sic etiam tribuit Scriptura Deo oculos, pedes & alia membra. Quia ergo actus divini ſimpliciſſimi æquivalent actibus noſtris realiter diſtinctis, ideo illos ratione ratiocinata diſtinguimus, quæ tamen diſtinguendi ratio ſubſiſtit ſine diſtinctione virtuali intrinſeca, vt patet in diſtinctione graduum Metaphyſicorum.

423. Dices: Ergo quando rogo Deum, vt mihi exhibeat aliquod beneficium, reipſa perinde eſt, acſi dicerem: *Domine, peto vt ab æterno ordinaſſis has meas preces ad talem rem mihi exhibendam.* R. In adverſariorum opinione ita re-

ſolvende erunt preces. *Domine peto vt ab æterno videris has meas preces, iſſue viſis decreveris mihi hanc rem.* Quid in hac, quaſo, mollius ac in priore? Dicendum, quòd Peticio noſtra aliud non ſit, quàm maniſeſtatio deſiderij alicujus rei, & agnitio, quòd non poſſimus illam obtinere niſi Deo tribuente: poſſet etiam intervenire reflexum deſiderium quo optemus, vt Deus ab æterno ordina-verit noſtrum directum deſiderium ad rem deſideratam, quocunque modo fiat hæc ordinatio, quod noſtra non intereſt.

Obijci poſſet 3. Hæc cauſalis eſt vera: Ideo Deus cognoscit futura, quia decernit futura: & non econtra: ideo decernit futura, quia cognoscit futura: ergo inter volitionem liberam & viſionem futurorum intercedit diſtinctio virtualis.

424. Confirmatur. Ex SS. PP. ſuprà probavimus, Deum ideo cognoscere futuros noſtros actus liberos, quia ſunt futuri, & non econtra ideo eſſe futuros, quia Deus futuros cognoscit: atqui ſi nulla eſt diſtinctio inter viſionem & decretum liberum, non minùs erit verum dicere: ideo ſunt futuri, quia Deus futuros cognoscit; quàm verum ſit dicere: ideo ſunt futuri, quia Deus prædeſinivit vt eſſent futuri; quæ eſt veriſſima propositio: ergo admittenda eſt aliqua virtualis diſtinctio inter decretum & viſionem, & illi tribuenda prioritas.

425. Hoc argumentum non magis concludit, quàm ſi quis probaret, Intellectionem eſſentialem Dei & Volitionem eſſentialem virtualiter inter ſe diſtingui. Nam etiam hæc eſt vera: Ideo Deus ſe amat, quia ſe comprehendit, & non econtra, ideo ſe comprehendit, quia ſe amat. Vtitur quidem hoc argumento P. Aldrete ad probandam diſtinctionem virtualem inter illa primaria attributa, ſed nobis ſervit instantia contra illos, qui rectiùs negant, & hoc ſæculo prævalent. R. Illas cauſales uſurpari ſecundum diſtinctionem formalem rationis ratiocinatæ, ſicut ſecundum eandem veræ ſunt iſtæ: Deus per Miſericordiam parcit, & non per Juſtitiam, econtra per Juſtitiam punit, & non per Miſericordiam.

426. Ad Confirmationem R. vt etiam ſuperiùs notatum eſt, per illas cauſales indicare nos velle, quòd tam viſio futurorum, quàm Decretum prædeſiniens impediri poſſent per actum oppoſitum, quia pendent à Scientia Media impedibili ab illa voluntate, cujus actus prædeſinitur.

427. Obijci poſſet 4. S. Auguſtinus libro 1. ad Simplicianum q. 2. ubi exponens illud ad Romanos 9. *Vt ſecundum propositum electio Dei maneret:* ſic concludit. *Non tamen electio præcedit juſtificationem, ſed electionem juſtificationis: nemo enim eligitur, niſi jam diſtans ab eo qui rejicitur.* Reſponder ſufficienter P. Mart. Eſparza, illud Jam; non eſſe intelligendum præſuppoſitivè, in genere quaſi cauſæ efficientis, ſed formaliter in genere cauſæ formalis, quatenus ipſa electio eſt diſcretiva

discretiva electi a reiecto. Eodem modo potest explicari illud ad Romanos 8. *Quos præscivit, & prædestinavit.* Cæterum, utrumque locum explicabo in Prædestinatione, quia est celeberrimus qui affertur pro Prædestinatione Mercenaria, ex prævisis meritis; unde, quia plerique ex adversariis defendunt Prædestinationem gratuitam, illis non minus quam nobis explicandus est.

§. VI.

Ordo Signorum breviter absolvitur.

438. EX hæcenus disputatis facile est ordinem signorum virtualiter distinctorum construere, in quo cæteroque vix duo auctores conveniant, quod provenit ex supervacanea multiplicatione decretorum.

In primo itaque signo ponitur Scientia Simplicis Intelligentiæ, quæ Deus intelligit, quid sibi possibile sit, & quæ sint rationes in se naturæ rerum, quibus Deus allici potest ad aliquid extra se producendum vel non producendum. Cognoscit item, esse possible plura individua actuum liberorum in agentibus creatis; insuper cognoscit determinationem ad individuum ad se pertinere. Cognoscit insuper, in se non posse existere scientiam eventuum liberorum conditionatorum quoad speciem, nisi prius à se fiat conditionata determinatio disjunctiva ad individuum. Cognoscit denique, se esse necessitatum ad faciendum aliquam huiusmodi determinationem, ut nempe ponat fundamentum Scientiæ Mediæ, sine qua non posset habere debitam providentiam.

439. In secundo Signo, ponitur Decretum conditionatum disjunctivum, determinans individua actuum liberorum.

In tertio signo, ponitur Scientia Mediæ de consensu Petri, v. g. cum auxilio A. In quarto signo, ponitur decretum quo Deus intendit Petri gloriam, per talem consensum & reliqua mediæ, quæ omnia ordinat à primo usque ad ultimum, nullâ amplius intercurrente aut interpolante Scientiâ Visionis, dirigente aliquod posterius decretum. Quod si alicui non arridet illud decretum disjunctivum conditionatum, potest auferre secundum signum, & absolvere omnia tribus signis.

§. VII.

Argumentum universale, quo probatur, vnicum decretum absolutum post Scientiam Mediæ admittendum esse.

440. Argumenta specialia hæcenus relata, possunt ad unum reduci hoc modo.

Si possent admitti plura decreta absoluta, tunc unum illorum ponendum esset in signo prioris, virtualiter distincto, & alterum in signo posterioris: sed hoc est impossibile: ergo &c. Majorem admittunt omnes. Minor probatur. Si vnum poneretur in signo prioris virtualiter distin-

cto à posteriore, tunc alterutrum deberet esse separabile ab altero, nam sine hac separabilitate non datur in decretis liberis virtualis distinctio, quia non datur realis distinctio in tertio. Atqui neutrum esset ab altero separabile, & hoc ex proprio modo tendendi in suum objectum: ergo est impossibile vnum poni in signo prioris, & alterum in posteriore. Minor probatur, primò quoad illud decretum, quod poneretur in signo prioris. Decretum primum esset decretum Intentionis ultimi finis, ordinando ad illum omnia mediæ, eo ordine quo Deus per illa finem consequi intendit: ergo hoc decretum est volitivum omnium mediorum, quæ postea in executione conducent. Sed si datur aliquod decretum posterius, illud etiam est vnum ex medijs, ergo primum decretum est volitivum posterioris decreti: sed decretum efficax est essentialiter connexum cum omni eo cuius est volitio: ergo primum decretum erit connexum cum posteriore.

441. Probatur jam etiam quoad secundum membrum, nempe decretum posterius fore essentialiter connexum cum prioris. Omnis volitio Dei ita vult objectum, ut simul etiam velit seipsam: sicut omnis cognitio cognoscit seipsam: ergo vult seipsam secundum eum statum & conditionem in quo actu ponitur, dum ponitur. Nam Deus debet omnia velle perfectissimo modo: est autem perfectissimus modus, ita velle aliquid, ut sit expressè & reflexè volitum secundum eum statum in quo ponitur, & omnis alius modus volendi est imperfectus. Atqui posterior volitio ponitur in eo statu, quo ordinatur tanquam medium ad ultimum finem: ergo vult seipsam ut medium ordinatum ad talem finem: atqui sic habet essentialem connexionem cum decreto Intentionis primo, supra quod se reflexit: ergo est mutua connexio & inseparabilitas: ergo excluditur virtualis distinctio.

CONTROVERSIA III.

An, & quo sensu DEVS necessitetur ad faciendum Optimum.

442. DE hac Controversia si quis velit sub terminis generalibus pronuntiare, multis incommodis exponetur, quocunque se verterit. Si enim omnimodam indifferentiam, & liberrimam volendi nolendive quidvis, & in quibuscunque circumstantijs, asseruerit, vexabitur auctoritate gravissimâ & ineluctabili Sanctorum Patrum. Si neget, videbitur Deo aliquam creaturarum indigentiam attribuere, & plenum in eas dominium auferre. Hinc orta est ea quam videmus Doctorum in hoc puncto discordia. Quod si res ipsa distinctius & membratim examinetur, vix poterit esse dissensio.

443. Prima Sententia est Raymundi Lulli apud Vasquez 3. p. disp. 1. n. 10. DEVM fuisse quidem liberum simpliciter ad aliquid vel nihil creandum,